


1160

G

42



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1160 G 42






Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1160 G 42





Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1160 G 42



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1160 G 42







KW 1160 G 42


CLARISSIMI VIRI
BURCHERI DE VOLDER
DISPUTATIONES PHILOSOPHICÆ
OMNES
CONTRA
ATHEOS.




MEDIOBURGI,

Apud JOHANNEM LATBRANUM.

1685






DISPUTATIO PHILOSOPHICA

Contra

A T H E O S.

T H E S I S I.



I ulla omnino res sit quæ diligentem merito humanæ mentis ad se allicere digna est attentionem, certe ea est quæ infinitas Divinæ Majestatis spectat perfectiones ; illa enim non eam tantum ob causam accuratam

meretur cotemplationem, quod circa id occupetur, quo nihil pulchrius, nihil perfectius, sed quod præcipuum est, quia hac sine cognitione omnia fluxa, omnia caduca. Etenim ut Divinum Numen unice causa est omnium, quæ in rerum universitate aut sunt, aut esse possunt, sic ejus cognitio, ea est, ex qua reliquarum omnium rerum scintilla, evidentiaque tanquam perenni quadam ex scaturigine fluunt, deducunturque. Taceo omnem pietatem, religionem, quicquid est sanctum honestumve penitus aboleri, nisi Deus agnoscat, quo hæc omnia nituntur. Qua propter si ulla de re, de hac certe laborandum est summopere, & ita quidem

A z

dem

dem laborandum, ut non contenti verisimilibus quibusdam rationibus de Dei persuaderi existentia, ejus firmitatis argumenta investigemus, quæ vel prefractissime dubitantes de hac tantæ rei veritate convincant, nec Mathematicarum rerum evidentia vel hilum cedant. Si enim vel in rebus ad praxin vitæ spectantibus, ubi sæpenumero agitur de re pusilli admodum momenti, non soleamus verisimilitudine niti, ubi certo, quid proficuum sit, licet dignoscere, multo sane id minus in hac causa faciendum erit, in qua non fluxum aliquod, nec diu duraturum commodum incommodumve spectatur, sed id quod perpetua sive tranquillitate sive inquietudine animum afficere potis est, cumque vel ad summæ felicitatis spem erigere vel in infelicissimum desperationis barathrum conjicere.

I I.

Imo huic rei & eo insistendum magis, quia omnibus sæculis non defuere, qui nescio qua animi perversitate Divini Numinis agnitionem sive superstitioni & vano hominum terrori, sive etiam Politicorum technis, non veræ, & sanæ ascripserunt rationi. Inrer quos aqud antiquos recensentur Eumerus, qui eos, qui longe præ ceteris sive animi sive corporis excellebant dotibus, Deos vocatos sibi imaginabatur; Prodicus Chius, qui Solem, Lunam, & uno verbo quicquid vitæ prodesset pro diis habitum fuisse somniabat, juxta versiculum,

T;

Τὸ γὰρ κρίνον με, τῶς ἐγὼ κρίνω Θεόν.
Nam quod me alit, id ego judico Deum

Protagoras, qui ab Atheniensibus capitis condemnatus fuit, eo quod scripsisset, περὶ Θεῶν ὅτε εἰ εἰσὶν, ἔθ' ὁποῖοί τινες εἰσι, δύναμαι λέγειν. πολλὰ γὰρ εἰσι πὶ κωλύοντά με ;
De Diis neque an sint, neque quales sint habeo dicere. Multa enim sunt quæ me inhibent. Sext. Empir. contra Mathemat. Plures, quod facile possem, adducere mihi animus non est, tum quia id ad rem parum facit, tum quia de multis non satis constat, reverane Deos negaverint, an vero ineptas Gentilium de Diis opiniones & frivolas nœnias contemserint oppugnarintque. Quam rem inquirere præterquam quod hujus loci non fit, hominis foret suo otio abutentis,

I I I.

Quibus si non omnino, proxime tamen accedere videntur duæ non ignobiles Philosophorum sectæ, qui etsi nominatim Deos non proscriberent, eorum tamen omnem claram evidentemq; perceptionem negarunt. Qua in causa primum locum tenent *Sceptici*, ἢ μᾶλλον εἶναι ἢ μὴ εἶναι Θεὸς λέγοντες, non magis esse, quam non esse Deos asserentes. *Sext. Empir.* qui etiam *Scepticum* ea de causa præ reliquis Philosophantium Deosque asserentium sectis constan-

tia collaudat, utpote μετὰ μὲν τὰ πατρια ἔθνη καὶ
 τὸς νόμους λέγων εἶναι Θεὸς, καὶ πᾶν τὸ εἰς τὴν τέ-
 των θρησκείαν καὶ εὐσέβειαν συντεῖνον ποιῶν τὸ
 δ' ὅσον ἔπι τῇ φιλοσόφῳ ζητήσει μὴδὲν ὡσετε-
 τεύομεν. *ex more patrio & legibus Deos asse-*
rens, omniaque efficiens quæ ad eorum cultum &
venerationem spectant, sed quantum ad Philosophi-
cam inquisitionem nihil temere pronuncians.

I V

Neque vero ab his toto cœlo differre censendi
 sunt *Academici*, Nam licet illis omnibus *Athei-*
fici crimen impingere mihi religio sit, negari
 tamen nequit, quin ut omnia alia ita & Deos po-
 fuerint inter ea quæ percipi non possunt. *Acade-*
micis nimirum, teste *Cicerone*, placet esse rerum e-
 jusmodi dissimilitudines, ut alia probabiles videan-
 tur, alia contra; id autem non esse satis, cur alia
 percipi posse dicas, alia non posse, propterea quod
 multa falsa probabilia sint, nihil autem falsi per-
 ceptum & cognitum possit esse. In quam senten-
 tiam cum de sensuum & rationis evidentia di-
 sputant, certe id liquet eos, si forte Deum non
 negarunt, ejus tamen agnitionem censuisse ad-
 summum probabilem tantum esse, ac talem
 qualis etiam esse possit falsa. Neque vero eos
 in Deorum causa hac generali Hypothesi de-
 scivisse, vel ex eodem *Cicerone* manifestum reddi
 potest, qui in *Academ. suis questionibus* con-
 ferens *Stoicorum negantium sine Deo posse quid-*
quam opinionem cum ea quæ esset *Stratonis ne-*
gantis

gantis opera Deorum uti se ad fabricandum mundum tandem Academici sustinens personam infert, Nec Stratonem tamen assentior: nec vero tibi, modo hoc, modo illud probabilius videtur, cui consentaneum est quod lib. 2. de Natura Deorum apud eundem Ciceronem Balbus Stoicus ait, Academicos de Diis immortalibus habere errantem & vagam, non ut nos, stabilem certamque sententiam.

V.

Quæ quidem eam ob causam adduco, ut manifestum reddatur eos qui omnibus illis medelam adhibere student, & tam qui Deum perfracte negant, quam qui eum dubitanter satis agnoscunt, de hac certissima & summe necessaria veritate convincere fatagunt, id agere oportere, ut non tam iis insistant rationibus, quæ summa verisimilitudine alicui persuadere potis sunt, quam ut eas adhibeant machinas, quibus assensus etiam contumaciter licet negantibus vel invitis extorqueatur. Nisi enim ea evidentia Dei demonstramus existentiam, qua ullæ liquere possunt Mathematicæ veritates, idque ex principiis ita per se cognitis ut nulli Geometrarum cedant axiomati, habebit semper Scepticus, quod cavilletur, quo infirmum argumenti robur diluat. Habebit Academicus quod objiciat se forte quidem ea ratione probabile existimare *Dari Deum*, sed ita tamen ut falsum esse queat. Nam se id non percipere. Neque enim eam evidentiam argumenti, quæ ad perceptionem necessaria est, animadvertere.

A 4

Non

V I.

Non igitur Divinam existentiam deducemus ex universali tantum non omnium hominum consensu, cum quia illum consensum negare *Scepticis* esset facile, nobis evincere admodum difficile; tum vel maxime quia quamcumque etiam verisimilitudinem hic consensus afferre posse videatur, facile tamen reperirentur etiam inter eos, qui paria cum *Scepticis Academicisque* dubitando non facerent, quibus placeret cum *Seneca*, pessimi argumentum esse turbam, & qui cum *Verulamio* existimarent homines etiam si insanirent ad unum modum & conformiter satis bene inter se congruere posse.

V I I.

Neque etiam ex fabrica ipsius mundi, aut ulla rerum sensilium existentia argumentabimur, non quod existimemus ea ipsa Dei existentiam non evincere, si nobis res sit cum iis qui res sensiles affirmant, sed ne nosmet ipsos *Scepticis* deridendos præbeamus, ea nostri ratiocinii assumentes fundamenta, quæ ab ipsis pro falsis aut sane pro incertis haberi obscuro non est. Statim quippe illi nobis regerent, Quid quæso tu mihi admirandam mundi jactas constructionem? quid tu res sensiles in scenam producis? cum mihi hæcenus incertum sit, sitne illa constructio tam admiranda, ut nullum præter Deum ipsum agnoscere queat auctorem?
Nec

Nec hoc tantum, imo cum me fugiat deturne ullus mundus, deturne quidpiam sensile. Quo fundamento negato nonne corrui omnis hæc demonstratio? Non adducam plures exceptiunculas quibus horum argumentorum vim & efficaciam elevare conati sunt, qui à *Scepticis Academicisque* starent. Ubique enim obviæ sunt. Id tantum monebo, aut illos penitus suo sensui relinquendos esse, aut certe contra illos utendum esse iis principiis, quæ negare nec ausint nec possint. Qua ex re præterquam quod nullum incommodum sequi valeat, id sane consequemur, ut & illis satisfiat, & simul ut reliquis quibus non ita difficulter persuaderi potest, certior firmiorque scientia contingat, ubi animadvertierint tam clare menti nostræ sui vestigia impressisse Deum, ut ne contumacissimi mortalium, si modo attendant, assensum queant cohibere.

VIII.

Verum omnis difficultas in eo est, taliane Principia inveniri possint. Qui enim omnia negantibus, aliquid extorqueri potest quod non negent? Qui invenire aliquid est quod inconcussum sit iis qui cœlos, terras, maria, & quicquid sensibus obviæ est, negare sustinent? Nihil ceteri aliud, omnia circumspicienti restat præter ipsas cogitationes, ut pote quæ ita nobiscum conjunctæ sunt, ut eas propter intimam quam e iis habemus conscientiam, excutere nullo modo liceat. Et quæso, quis est qui ulla ratione

tione dubitare queat, an cogitet? Quantumcun-
 que enim dubitationi indulgeat, non tamen
 hoc efficiet, ut se cogitare nesciat. Quod
 ipsum est quod *Augustinum* impulit, ut, in
 inquisitione, quam instituit de *Deo & mente*,
 cogitationem pro fundamento poneret. *Soli-
 loq. l. 2. R. Tu qui vis te nosse, scis esse te? Aug.
 Scio. R. Unde scis? A. Nescio. R. Simplicem te sen-
 tis an multiplicem? A. Nescio. R. Moveri te scis? A.
 Nescio. R. Cogitare te scis? A. Scio. R. Ergo ve-
 rum est cogitare te. A. Verum. R. Immortalem te
 esse scis? A. Nescio, &c.*

IX.

Verum existimabit forte quispiam, & hoc
Scepticis pro incerto habitum. Quod si ve-
 maxime verbo id negarent, eritne ullus qui dubi-
 tabit fieri posse, ut ex animo de cogitatione sua
 dubitent? Verba autem non spectamus, res ip-
 sas animadvertimus. Deinde non ita ab omni
 ratione alienum id hominum genus fuit, ut co-
 gitationem inter dubia secluderent. Manifestum
 quippe est illos ne *Phænomena* quidem negasse,
 tantum abesse ut suis cogitationibus fiden non
 adhibuerint. Quae de *Sextum Empiricum* au-
 diamus, *lib. 1. Pyrrh. Hypoth. c. 11.* ita differenter;
 οἱ δὲ λέγοντες οὐ αἰσθάνονται τὰ φαινόμενα οἱ ἔκκα-
 ληκοὶ, ἀνηκούσοι δὲ καὶ οἱ ἀναγνώστες τῶν παρ' ἡμῶν λε-
 γομένων. τὰ γὰρ κατὰ φαντασίαν παθητικὰ,
 ἀβελήτως ἡμᾶς ἀγνοῦντα εἰς συγκρατάδους, οὐκ
 αἰσθάνονται.

αὐαθεῖται. ταῦτα δὲ εἰσι τὰ φαινόμενα.
 Qui autem ajunt Scepticos phænomena tollere, ea
 quæ à nobis dicuntur audissenou videntur; Non
 enim evertimus ea quæ secundum visum pati possu-
 mus, quæque nos præter voluntatem ducunt ad as-
 sensum. Ea autem sunt Phænomena. Cujus rei
 dein exemplum addit, οἷον φαίνεται ἡμῖν γλυ-
 κάειν τὸ μέλι. τῆτο συχωρῆμι. γλυκαζόμεθα
 γὰρ αἰσθητικῶς, εἰ ἢ καὶ γλυκό εἰσι ὅσον ὅτι τῷ
 λόγῳ ζητῶμεν, ut apparet nobis dulcescere mel;
 hoc concedimus, dulcorem enim sensu percipimus,
 an vero dulce sit quantum ratio valet quærimus.
 Et c. seq. κριτικῶν τοῖνον φαινοῦ εἶναι τῆς Σκεπτικ-
 κῆς ἀγωγῆς τὸ φαινόμενον, δυνάμει τὴν φαιλα-
 σίαν ἔτι καλεῦντες, ἐν πίσει γὰρ κατ' ἀβυλῆτω
 πάθει κριτικῆ ἀζήτητος εἰσι. Criterium igitur
 Scepticæ institutionis dicimus esse id quod apparet;
 ita ipsam visionem potestate vocantes, cum enim
 illa posita sit in persuasione & involuntaria passio-
 ne, de ea quæri nequit.

X.

Ex quibus, & quæ in hunc sensum plura ad-
 duci possint liquet Scepticos, cum ea quæ appa-
 rerent, quæque illis viderentur non negarent,
 cum admitterent ea quæ ad assensum cogèrent,
 τῆς γὰρ κατ' ἀβυλῆτω κατ' ἀβυλῆτω κατ' ἀβυλῆτω
 πάθει συγκαταπίδεται ὁ Σκεπτικός. Passionibus
 enim ad quas cogitur secundum visa assentitur Sce-
 pticus.

pticus, nequaquam ne verbo quidem cogitationes, & quidquid conscientiam ferret secum repudiasset; si enim apparere dicant ea quæ apparent, jam ipsas cogitationes nostras extra omnem ponunt controversiam.

XI.

Hiscæ autem cum solis assentiantur, illis quoque solis utendum erit, si quidpiam iis demonstratum volumus. Id igitur restat ut inquireamus an abjecta in eorum gratiam omni quam de rebus externis habemus persuasionem solis ex cogitationibus quas abjicere non licet, invictis & assensum extorquentibus argumentis evincere queamus magnum illud effatum *Dari Deum*.

XII.

Vulgaris admodum, sed erronea tamen opinio est, inquirendum de unaquaque re, primum *an sit*, dein *quid sit*, & denique *quam ob causam sit*. Ipsa enim ratio ordinem hunc inquirendi præposterum manifeste arguit. Quid enim evidentius, quam ne inquirei quidem posse, an res quæpiam sit, nisi primum, *quid sit* cognitum habeamus? *Ἐπει*, ut apud *Empiricum* est *adversus Grammat.*, ἔτι ζητεῖν, ἔτι διπορεῖν ἔστι μετὰ τὸ σοφὸν Ἐπίκτετον ἄνευ προλήψεως. Quoniam neque querere, neque dubitare est, ex sapientis Epicuri sententia, sine anticipatione,
hoc

hoc est, inteprete Cicer. l. i. de nat. Deor., sine anteccepta animo rei quadam informatione, sine qua nec intelligi quidquam, nec quæri, nec disputari potest. Quæ enim quæso vel concipi potest via, aut inquirendi in rei alicujus existentiam, aut ejus existentiam intelligendi asserendive, aut etiam de eadem illa dubitandi, nisi antea determinatum cognitumve sit, quanam de re existentia aut quærat, aut asseratur, aut dubia in medio relinquatur. Quod autem de existentia rei hic adduco, id de quolibet attributo eadem evidentia affirmari posse, opinor, repugnabit. Nam an non ridiculum plane foret quærare, *blictri*, (ut hoc vocabulo utar nihil significante) sitne atrum an album, existeretne an secus? idque non aliam ob causam, quam quod nullam habemus sive anticipationem, sive *περίληψιν*, sive ideam aut notionem rei istius, de qua quæritur, & quæ per illam vocem designatur, hoc est, quod nesciamus quidnam *blictri* sit. Simul enim ac quis exponit, quidnam sibi hac voce velit, quo ipso excitat rei, de qua quærit, in nobis notionem, statim perit omnis quæstionis inconcinnitas, novimus quid quærat, & prout cognitio nostra perfectior aut imperfectior est, vel decidimus, quid censendum sit, vel de ipsa quæstione ambigimus.

XIII.

Quæ quidem res ejus mihi evidentia videtur, ut ulterioris non indigeat explanationis.

cationis. De qua tamen si quispiam adhuc dubitet, de se experimentum capiat, an possit quidpiam aut quærere aut asseverare, de re, de qua nihil novit, hoc est, de qua nullam notionem, conceptum, *περίληψιν*, ideam habet. Quæ quidem eam ob causam adduco, ut occurram illi nonnullorum dubitationi, qua verbo aut negant, aut in dubium trahunt Divinitatis ideam, quæ tamen fundamenti loco est ad omnem quam habere possumus, de Deo divinisque notitiam.

X I V.

Quam quidem ad rem, ne verbi mihi moveatur controversia, monendum censeo, me nequaquam per vocem *ideæ* intelligere imaginem rei corporeæ oblatam menti, utpote quale quid nos de Deo in nobis non habere lubens agnôsko; sed eam vocem denotare quodlibet genus conceptum, cujus objectum quidpiam est à mente diversum, quocunque etiam modo id à nobis concipiatur, sive sensuum, sive imaginationis, sive denique intellectus vi & efficacia.

X V.

Neque vero est, quod putet, nos ea omnia sub voce *Ideæ* si complectamur, abuti eo vocabulo, illudque eum in sensum detorquere, qui isti voci subjici non solet. Quod si vel demus, quid quæso interest? Ipsa veritas accipietne ex eo quidpiam detrimenti? Quod qui
possit,

possit, dum illa à vocabulis tota aliena est, nec cum illis ullum habet commercium. Sed fallamus forte eos, quibuscum agimus dum voce utimur sensu insolito. Cujus rei ne ullum quidem periculum est, cum quam vim isti voci subjectam velimus interpretemur accurate. Ita ut ex perversa etiam, & ab usu linguæ abhorrentè vocis acceptione nihil omnino aut erroris ambiguitatis metuendum sit, nec respectu cognitionis nostræ, nec respectu commercii, quod cum aliis habemus. Ad illam enim ut nihil spectant vocabula, sic omne hujus periculum dilucida tollit vocis interpretatio.

X V I.

Deinde, cur quæso abutimur hoc vocabulo, si id ultra imaginationem, qua solæ res corporales continentur, extendimus? Hospes certe omnino sit oportet in *Platone*, quo nemo frequentius ideas crepat, qui existimet apud eum per ideas rerum corporalium tantum imagines intelligi. Quid enim apud eum frequentius quam omnem cognitionem idearum esse, circa res sensibiles vero locum habere non *scientiam*, sed *δόξαν opinionem*: Ideas autem esse, non quod in singulis rebus existentibus est, sed id quod naturam rei complectitur, & de quo res singulæ vel magis vel minus participant. Cujus rei vel infinita ex eo exempla adducere non foret arduum, sed ne in re levi longior sim sufficiat unicum hocce quod habet *lib vi. de Rep.*

Πολλά καλὰ, ἢ πολλὰ ἀγαθὰ ἢ ἑκαταῖτας εἶναι
φαιμέντες

φαμέντε κὶ διοείζομεν τῷ λόγῳ; Φαμέν γάρ·
 κὶ αὐτὸ δὴ καλόν, κὶ αὐτὸ ἀγαθόν, κὶ ἕτω περὶ
 πάντων, ἅ τόπως πολλαῖ ἐπὶ μὲν, πάλιν αὖ καὶ
 ἰδέαν μίαν ἐκάστῃ, ὡς μίας ἕως, πιδίντες, ὅ ἐστιν
 ἕκαστον περιπαρορέομεν. καὶ τὰ μὲν δὴ ὁ εἶσθαι
 φαμέν, νοεῖσθαι δ' ἕ. τὰς δ' αὖ ἰδέας νοεῖ-
 σθαι μὲν, ὁ εἶσθαι, δ' ἕ. Παντάπασιν μὲν ἕν.
Multa quidem plchra, & multa bona, & in sin-
gulis similiter se habere dicimus, & definimus ra-
tione? Dicimus. Ipsum vero pulchrum, & ipsum
bonum, & sic de omnibus, quæ tunc ut multa po-
suimus, reursus secundum unam euzusque ideam
tanquam unum sit, poentes, id, quod unum
quodque est appellamus; & illa quidem videri dici-
mus, non intelligi, ideas autem intelligi quidem,
non autem videri? Omnino vero. Nonne præ-
terea ideæ justī in justī boni mali, turpis, pulchri, ut-
ramque apud ipsum faciunt paginam; Quibus
tamen nemo, opinor, existimabit divinum
huncce virum corporeas quasdam justitiæ, boni-
tatis, pulchritudinis, &c. imagines intellexi-
ssē, quo nihil inscitius, sed ipsam earum vir-
tutum naturam prout est in mente, quas idcir-
ce & expresse δὴ τῶν κόνων, ab imaginibus se-
parat & distinguit. Verum non est quod hac
inre hæream diutius cum ad rei, quam unice
quæro veritatem nihil omnino intersit, utrum
ea vece recte utar, an secus. Quod tamen im-
itari si quis superstitione reformidet, utetur cer-
te me lubente voce sive notionis, sive concep-
tus, sive alia quacunque quæ ipsi visa fuerit. In
 hoe

hoc enim nequaquam laborandum censeo,
dummodo de vi vocis inter nos conllet.

X V I I.

An vero detur talis in nobis divinitatis sive
idea sive notio sive conceptus, anxie demon-
strandum nequaquam existimo. Ipsa enim
asseriti evidentia me nescio quo modo in expli-
cando, demonstrandoque hæsitatiorem reddit.
Verba enim ipsa perspicuitas rei tollere videtur.
Nonne enim quid ego cogitem, quarum rerum
conceptus habeam ipsa me mea docebit cogita-
tio, evincet conscientia, & ita quidem evincet ut
nullus dubitationi relinquatur locus? Et sane
nonne absurdissimum foret à te si peterem, ut
exquilitis rationibus accuratè demonstrares,
non quid in rerum natura ita se haberet aut secus,
quorum tantum est demonstratio, sed quid ego
conciperem, cogitaremve? Poteritne quæso
fieri, ut tu longa rationum demonstratumve
connexione, certius me doceres, me triangu-
lum cogitare, quam idem ipsum absque ullis
argumentis, ullis verbis me docebat mea con-
scientia? Quæ hoc nisi à me extorqueat, fru-
stra certe erunt reliqua omnia? Quid igitur est
quod quis sibi demonstrari postulet, habere se
in se cogitationem divini numinis? quam si
habet modo attendat, ignorare neutiquam po-
test; si non habet, nullis aut verbis aut demon-
strationibus adhibitis eam acquirat.

B

Est

XVIII.

Est etenim hæc idea , non secus ac omnes nostræ perceptiones per se manifesta , nec ullius demonstrationis ulterioris indiga. Ut tamen iis, si qui forte sint, hanc, qui verbo re enim non possunt, negare præsumant, ideam, medela aliqua abhibeatur, quod non tam demonstratione, quam axiomatis explanatione fiet, age; quæremus ex istis Deum cum me dicentem audiunt, nihilne aliud percipiant, quam vocis istius sonum, quem & percipit ille, qui linguæ, qua utor imperitus est omnino, an vero præter illū sonum quidpiam percipiant in mente à sono plane diversum? Quod si fateantur, ut nemo, credo, id inficiabitur, fatentur una opera se habere Dei ideam. Sensum enim istius vocis qui agnoscit, novit rem eamque percipit, quam isti voci subjecimus, hoc est, habet istius rei conceptum sive ideam.

XIX.

Et profecto nihil à ratione alienius est, quam negare ideam Divinitatis, & tamen Deum omnipotentem, omniscium, & quæ plura attributa ei conveniunt, confiteri. Quid enim? Deum cum omnipotentem dico, nullusne subest isti Dei voci sensus? si nullus, nihilo omnipotentiam adscribo; sin vero sensus subest, hic ipse est *Idea Dei*. Ex quo sequitur, aut confitendum esse habere nos de Deo conceptum, aut si negationi

gationi huic consentanea loqui velimus, de Deo nihil aut affirmandum aut negandum. Nullam enim rei ideam habere, est nullum de ea attributum noscere, nihil de ea concipere, hoc est, nihil de ea affirmare aut negare posse.

X X.

Verum non tam forte in eo laboratur, an sit in nobis ullus conceptus divinitatis, quam an sit ille clarus & distinctus, & an non concipiatur solummodo Deus per quasdam negationes. Erunt forte etiam qui in eo hærebunt, possitne mens finita ideam habere infiniti; Prius quod spectat, tantum certe abest ut per negationes concipiatur Deus, ut in Deum nulla possit cadere negatio. Deum concipere, ens cogitare absolute perfectum, absolute infinitum, hocne quæso negationis est? Imo vero, inquit fortasse, infinitum est negatio finium, perfectum negatio imperfectionum; quasi vero fines, & imperfectio non ipsi in suo conceptu negationem involvant, & negatio negationis non sit plena affirmatio! Extensionem infinitam qui cogitat, nonne illam concipit, à qua omnis extensionis abest negatio? finitam vero qui ponit, nonne ponit aliquam aliquousque sese extendentem, nec ulterius? In quo igitur finiti conceptu manifesta est negatio, quam omnem tollit infinita extensio. Et sanè si de Deo præter negationes concipiamus nihil, qui differet conceptus Dei à conceptu nihili,

B 2

utpote

utpote quo omnium attributorum negatio continetur?

X X I.

Veruntamen infiniti conceptus clarus & distinctus esse nequit; Fateor certe, si conceptum eum vocent, qui non tantum rei naturam, ex qua reliqua omnia sequantur, offerat menti, sed & simul illa omnia quæ ex illa natura deduci & demonstrari ipsa res patitur. Talem enim infiniti conceptum habebit nemo nisi qui simul sit infinitus. Sed si putent quempiam clare distincteque noscere triangulum, qui novit esse figuram trium laterum, etsi forte varia ejus ignoret attributa, cum id tamen novit quod reliqua omnia involvit, & ex quo illa necessario ducuntur, nulla quoque ratio est, cur neget posse nos clare & distincte cognoscere ens absolute perfectum, absolute infinitum, etsi nemo infinita illa quæ ista in se comprehendit notio, advertat, percipiatque.

X X I I.

Deinde, nonne clare & distincte liquet attendenti, extensionem infinitam omnia spatia occupare, nullam ea majorem posse concipi, non posse dividi in partes numero finitas &c? quæ certe non percipiuntur ex natura corporis & extensionis, quatenus corpus & extensio est, sed ex natura corporis extensionisve
quare-

quarenus infinita concipitur, atque adeo deducuntur ex ipsa notione infiniti. Nonne etiam eodem modo percipitur evidentissime ens omnino perfectum, infinitumque omnia cogitare, omnia velle, omnia posse, & quæ id genus plura sunt? Quoniam autem pacto hæc sequi clare & distincte ex natura Dei & ex ea sola conciperemus, si hæc ipsa notio foret obscura confusaque! profecto si certum sit ex præmissis aut dubiis aut obscuris non nisi dubiam aut obscuram sequi conclusionem, consistendum erit, aut hæc obscure confuseque tantum de Deo cognosci, quo nihil absurdius, aut naturam Dei, per quam hæc cognoscuntur, nobis obscuram dubiamque non esse.

X X I I I.

Addam denique & illud, tantum abesse, ut infiniti nobis nulla sit notio ut e contrario omnè id quod in se & sua natura spectatum concipimus, concipiamus infinitum. Sic scientiam, potentiam, extensionem, cogitationem &c. in se spectatas concipimus infinitas. Nemo enim opinor qui naturam scientiæ potentiæve concipit, concipit eam cum ignorantia aut impotentia mixtam, scientia, autem absque ulla ignorantia nonne est infinita? Potentia, cui nulla adsit impotentia, nonne etiam infinitam se clamat? Scientia equidem finita quid est, quam ea quæ quædam novit, reliqua ignorat, quæque mixta est cū ignorantia? ut & potentia finita quid est, quam illa,

quæ quædam potest, reliqua non potest; hoc est, quæ cum impotentia est conjuncta? Cum igitur finitum quid concipimus non concipimus rem in se spectatam, sed negatione quapiam involutam; quidquid autem in se concipimus id eo ipso spectamus infinitum.

X X I V.

Quæ quidem omnia perspicue evincunt claram distinctamque in nobis esse ideam Dei, hoc est, entis summe perfecti, absolute infiniti. Quod si tamen perfracte quispiam hanc notionem claram distinctamque vocare nolit, quia non omnia continet, quæ ex Dei natura sequuntur, is sibi hoc habeat, ad hanc rem, quam ago mihi omnino sufficere, si eam tam claram distinctamque fateatur, ut si non omnes, certe multas consequentias ex ea certo possim deducere, quod *thesis* II. evincit plane. In hac enim inquisitione id satis erit si ut omniscientiam, omnipotentiam &c. certissime ex natura Dei deducunt omnes, ita in sequentibus deduxero Dei existentiam, eamque necessariam & æternam. Cui rei proxima me accingam disputatione.

X X V.

Tam aperta & illustria sui iudicia animis nostris omni ex parte impressit Deus O. M. ut ejus existentiam vel Mathematica evidentia monstrare volenti, non tam laborandum videatur,

deatur, argumenta ut quærat, quam ut ex iis, quæ undequæ attendenti occurrunt, ea seligat, quæ obviam magis & facilem, certam tamen & inconcussam habeant demonstrationem; sive enim ipsam Dei Naturam contemplemur, manifesto convincimur eam illam esse, quæ in se sufficiens habeat existentia suæ, ejusque necessaria & æternæ fundamentum; sive ejus effecta respiciamus, & ea quidem quorum notitia intime mentibus nostris insculpta nullum omnino dubitationi locum relinquit, illa dilucide demonstrant, causam summe perfectam, summe infinitam; sive denique quidpiam arripiamus vel quod existat revera, vel quod existere fingamus illa sive vera sive ficta existentia clare patet, existere aliquod ens à se. Quæ quidem ut cognoscantur evidentius, singula paulo accuratius prosequenda erunt. In illa autem existentia divinæ demonstratione, quæ ex natura Dei fluit, morabor minus, quia memini me alias hanc rem deduxisse latius. Summa tamen *hac in disputat.* ejus delibabo capita, ne hæ demonstrationes parte sui primaria destitutæ nonnullis videantur.

X X V I.

Quæ itaque paucis ut ob oculos ponatur, asumo, Ea omnia quæ per necessariam, & certissimam consequentiam ex rei cujuscunque natura deducuntur, ea esse rei istius attributa, rei isti certo competere, nec absque iis rem illam

aut existere aut concipi posse. Cur enim, quæ-
 so, maximum latus opponi maximo angulo
 trianguli attributum est? cur vere id de omni
 triangulo asseritur? cur absque illa proprietate
 nullum triangulum aut concipi aut existere pot-
 est, nisi quia hoc ipsum ex trianguli natura ne-
 cessario sequitur? Nihil profecto evidentius,
 quam ea, inter quæ necessaria est connexio,
 qualem hic suppono inter rei naturam, & quæ
 ex ea deducuntur, à se invicem nullo modo nec-
 re nec cogitatione separari, ideoque nec alte-
 rum absque altero aut existere aut concipi posse.

X X V II.

Assumo deinde, ea omnia, quæ in idea rei
 alicujus continentur, sive quæ ex idea istius rei
 necessario sequuntur, necessario quoque sequi
 ex ipsa rei natura. Nam quid aliud sunt quam Na-
 turæ ipsarum rerum repræsentationes? ex quibus
 quidquid sequitur, sequitur ex Natura rerum
 quas repræsentant. Quis enim non videt, inter
 Naturam rei, quatenus ab idea offertur menti,
 & attributa, quæ ex eadem necessario fluere
 mens percipit, eandem omnino connexionem
 esse, quæ est inter rei naturam extra nos ex-
 istentem, & attributa quæ producit? Ita qui-
 dem ut sicut omnino nequeo habere Ideam rei
 sine illo attributo quod ex idea sequitur, sic res
 illa omnino nequeat existere absque eodem illo
 attributo. Nullam enim aliam ob causam idea
 id ex sequitur, quam quod cum ipsâ rei natura
 neces-

necessario copulatur. Etenim ut idea rei causa est Ideæ omnium eorum quæ ex idea rei sequuntur, sic & essentia rei causa est omnium attributorum, quæ rei ipsi adsunt. Manifesto siquidem eadem analogia & connexio est inter ideam rei & ea quæ in idea continentur, quæ est inter Naturam rei, & ea quæ ex illa fluunt. Quidquid igitur vere sequitur ex Idea, hoc verè sequitur ex ipsa rei natura, quidquid autem vere sequitur ex rei Natura hoc est rei attributum, ac vere de ea affirmari potest.

X X V I I I.

Quod quidem effatum ejus videntur, ut eo omnis nostranitur notitia. Nulla enim de re quidquam datur cognoscere nisi quatenus eam cogitamus, hoc est ejus ideam habemus. Quidquid igitur rei ascribimus, idcirco ei ascribimus, quia eo nos ducit ipsa res, non quatenus extra nos est (hoc namque ad cognitionem nostram nihil facit) sed quatenus est à nobis cogitata, hoc est, ideo ascribimus quia mens nostra animadvertit, hoc ipsum quod ascribit ex ideis rerum quas habet sequi necessario.

X X I X.

Neque vero difficile erit, hæc ipsa si negotio nostro applicentur, animadvertere, ea omnia quæ ex Idea divini Numinis sequuntur necessario ea cum Natura Dei necessarium habere &

indissolubilem nexum, vereque idcirco de Deo affirmari. Nonne autem idea Dei nobis ens proponit summe perfectum, omnibus numeris infinitum? Nonne ex hac summa perfectione sequitur quidquid demum perfectionum dari potest? Nonne itaque ex eadem illa sequitur existentia, eaque æterna & necessaria, quippe quæ non tantum perfectio est, sed & sine qua nulla omnino esse potest perfectio. Quid itaque absurdius, quid à ratione alienius, quam enti summe perfecto, denegare existentiam, hoc est omnes denegare perfectiones, & pro nihilo habere? Profecto si quis ea quæ *Tb.* 2, 3, 4. de connexionione inter ideas, & rerum quas repræsentent Naturas diximus, attente applicet ideæ Divinitatis videbit evidenter, istius Naturæ existentiam necessarium esse attributum, idcirco de ea non posse non affirmari.

X X X.

Attendenti siquidem patebit evidenter, in conceptu Dei non existentis poni manifesto pugnantia. Nemo unquam circulum quadratum veram rem dixerit, cum liquido constet, & circuli Naturam quadratum & quadrati circulum excludere. Eandem itaque si in conceptu Dei non existentis ostendam repugnantiam, nonne planum fiet, hunc conceptum eo ipso falsitatis convinci, meram, ut loquitur contradictionem involvere, uno verbo cum rei veritate pugnare? Quid autem clarius quam
Deum,

Deum, hoc est rem perfectam omnes perfectiones, atque in iis etiam ipsam existentiam comprehendere? Quid itaque aliud est asserere Deum non existere, quam affirmare rem sua natura existentem non existere, rem summe perfectam omni perfectione carere? quo asserto quid quæso pugnabit secum invicem apertius?

X X X I.

Denique, ut exemplo ab omnibus admissio stabilietur ratiocinii firmitas, eritne quispiam, qui ullam fallaciam in eo argumento putet, quo Deo ascribimus infinitam & potentiam & scientiam eo quod sit omnibus numeris perfectus & infinitus? Cur itaque in existentia hærebimus, cum argumentatio eodem plane procedat modo? Dei Natura omnes in se continet perfectiones, ergo & omnipotentiam, omniscientiam, quia proculdubio sunt perfectiones, Deus igitur est omnipotens, Deus est omniscius. Confitentur omnes, Nemo in dubium vocat. Quid igitur nonnullos male habet si loco omnipotentiam ponamus existentiam. Nonne eodem ritu procedit ratiocinatio? Dei Natura omnes in se continet perfectiones, ergo & existentiam necessariam, quæ proculdubio est perfectio, æque ac omnipotentia, reliquaque attributa. Ut igitur recte concludimus Deum hoc ipso esse omnipotentem, ita & eadem evidentia sequitur, Deum hoc ipso esse necessario existentem. Neces-
sum

sum itaque est ut qui hoc ratiocinium infirmatum velit, aut utrumque argumentandi modum neget; quo nihil absurdius; aut si alterum vere, alterum male concludere existimet, in ipso argumento hujus varietatis causam ostendat; aut hoc si non possit, ut facile attendenti liquebit varietatem nullam dari, fateatur id quod unice restat, eandem sequelæ evidentiam in utroque obtinere argumento; quod ipsum erat quod demonstrare intendebamus.

X X X I I.

Neque vim hujus ratiocinii effugere est excipiendo, hanc forte ideam Divinitatis à nobis effectam esse. Hoc enim si vel maxime verum foret, nihil tamen toti officeret ratiocinio. Triangulum quadrato inscriptum effecta plane idea est. Ut enim concipere facile licet Triangulum inscriptum quadrato, sic eadem facilitate Triangulum solum absque quadrato quadratum absque Triangulo, nemo non percipiet. In hac tamen trianguli quadrato inscripti idea cum contineatur, triangulum quadrati istius esse dimidium, id de triangulo in controversiam vocabit nemo, nec dubitabit asserere Geometra, omne Triangulum quadrati cui inscribitur dimidium esse, nequaquam attendendo five idea hæc effecta sit, five minus.

Quod

XXXIII.

Quod ut hoc in exemplo liquet, sic in omnibus obtinere vel ex eo constat, quod ea quæ *Th.* 2, 3, 4. diximus, conluserimus ex generali idearum natura, nulla mentione facta hujus illiusve inter ipsas ideas discriminis. Quid autem certius, quam ea quæ ex generali omnium Idearum natura sequuntur, æque de omnibus vera esse, quamcunque etiam de cætero inter sese sortiantur diversitatem? Nihil itaque ad elevandam argumenti efficaciam quidquam facit, si hæc idea Divinitatis effecta dicatur, siue minus: Qua de re si quis dubitet, applicet eadem illa quæ de ideis in genere diximus, ideis effectis, omnia eodem ritu deduci, eadem evidentiâ demonstrari animadvertet.

XXXIV.

Deih nihil absurdius est quam ideam hæc statuere effectam. Nam quid quæso aliud effecta Idea est quam quæ ex pluribus sola mentis operatione pro arbitrio est conflata. Quod certe de hac nostra dici non potest, cui nihil omnino addi, à qua nihil potest demi, quin eo ipso tota Divinitatis destruatür notio. Si enim ab hac ipsa Dei Idea quidpiam separatum velimus, nonne eo ipso tollitur Natura entis absolute infiniti? unde sequitur Necessariam omnino connexionem & inseparabilem nexum inter
omnes

omnes perfectiones dari, aut potius unam tantum in ipsa Natura Dei omnia comprehendentem contineri perfectionem. Quid itaque à fictione distat magis, quid ab arbitrio nostro dependet minus, quam Divinitatis Idea? qua ne minimam quidem sine totius rei destructione admittere potest separationem. Ubi igitur nullæ continentur diversæ partes, Ubi omnia referuntur ad unum, illic nulla est compositio, nulla effectio, illic simplicissima est Idea, & minime arbitraria.

X X X V.

Verum, inquiet forte quisquam, ex cogitationibus nostris, quæ multa comprehendunt, quæ in rerum natura non reperiuntur, non licet concludere rerum existentiam. Imo verò existentiam concludere nisi ex cogitationibus nullo modo licet. Res quidem non minus existant, si ego de iis cogitem, si minus, sed tamen ex solis cogitationibus meis patebit mihi rem existere aut non existere. Quæcunque enim extra me fiunt, nisi mentem meam afficiant, nisi certas cogitationes in ea excitent, certe cognitionem meam juvabunt nihil. Quid quid igitur sive existentia sive quarumcunque proprietatum de rebus concludo, id solis pendet ex conceptibus. Nemo itaque mirabitur Divinam quoque existentiam nos ex ideis deducere, cum ea eo evidentius deducatur, ex idea sui, quod ad illam demonstrationem nulla
alia

ia requiratur idea, quod in nulla alia re obtinet. Solem ex. gr. (idem enim est quacunque de re loquar,) ut existere concludamus, ad id non faciet ipsa Natura Solis in coelo, sed ipse conceptus meus quem habeo de Sole; ex quo solo cum non sequatur Solis existentia, necesse est ut ejusdem dependentiam ab aliarum rerum, quarum existentiam aliunde novi, ideis animadvertam, sicque demum, non tamen aliunde quam per cogitationes meas, Solis concludam existentiam. Ex quo liquet omnium rerum existentiam ex solis conceptibus concludi, five illa sequatur ex ipsius rei conceptu, ut hoc in sola Dei idea obtinet, five ex dependentia ab aliarum rerum, ipsiusque demum Dei conceptibus.

X X X V I.

Neque vero est quod existimes hac ratione ipsis rebus necessitatem imponere nostras cogitationes. Nihil minus. Non enim hic agitur de causa propter quam res aut existant, sed potius de causa per quam res tales existere à nobis cognoscantur, quæ proculdubio in conceptibus est. Neque vero ideo existit Deus quia ego eum necessario existentem cogito, existeret enim five de eo cogitarem five secus, sed ideo eum talem cogito necessario, quia hanc meis cogitationibus necessitatem imponit Deus, qui cum in perfectissima sua natura contineat necessariam & æternam existentiam, eam ipsam ob
causam

causam necessario ab æterno existit, & in æternum existet.

X X X V I I.

Post eam existentia Divini numinis demonstrationem, quæ suam efficaciam debet ipsi naturæ Dei, siue infinitis perfectionibus, quas idea Divinitatis menti offert, proximum est, ut videamus quidnam sequatur ex eadem illa idea, eam si consideremus, non in sua natura, sed tanquam causæ alicujus effectum. Cui rei non inutile erit præmittere quædam generalia ipsam Naturam causæ & effecti, eorumque inter se dependentiam spectantia. Ut autem omnis tollatur ambiguitas, moneo, me per causam intelligere non, ut vulgo solent, quidquid id est, quod ad rei productionem aliquid confert, licet sæpenumero quadam tantum sui suarumque virium parte agat, sed id præcise, cujus ex attributis viribusque effectum sequitur. Sic homo ex.gr. causa vulgo dicitur, loquelæ, motionis voluntariæ, reliquarumque functionum quæ in corpore fiunt, actionumque quas extra corpus producit, cum tamen loquelæ non totus homo, sed organa tantum vocis; motus voluntarii, non iterum totus homo, sed musculi, sed spiritus eorumque influxus veræ causæ sint. Eodem quoque ritu si supponamus quempiam eo robore pollentem, ut ad certam altitudinem attollere possit lb. 400; attollere solummodo lb. 200, illum secundum ordinari-
rium

rium loquendi usum, habebimus pro causa i-
 stius effecti, cum tamen si præcise rem determi-
 nare, & accurate loqui velimus, homo ille non
 omnibus suis viribus causa sit elevati ponderis,
 sed tantum dimidia suarum virium parte. Hæc
 enim præstat omne id quod efficitur, reliqua
 vero pars otiosa plane est, nec quidpiam efficit.
 Uno verbo eam hic solummodo causam voca-
 mus quæ vulgo *proxima* dicitur, *qua posita effe-
 ctum ponitur & qua sublata tollitur.*

X X X V I I I.

De hac autem causa evidentissime liquet, eam
 omnem cum effecto, necessariam nec ulla rati-
 one solubilem habere connexionem. Quæ enim
 arctior copulatio concipi potest, quam ea quæ
 modo descripta est, quæque id continet ut al-
 terum absque altero nec poni nec tolli queat?
 Quid deinde evidentius, quam si fieri possit, ut
 causa existente & operante (quod vel omitti
 posset, cum sine operatione causa non sit causa)
 effectum non sit, sequi præter eam operationem
 causæ, aliam insuper conditionem requiri, sine
 qua effectum non ponitur, sive sequi ipsam
 causæ operationem solam non sufficere, hoc est,
 ipsam causam, causam non esse. Profecto, si
 causa existat non existente effecto, quid certius
 quam id causæ rationem non habere, cum effe-
 ctum non producat, in quo tamen ipsius causæ
 vera consistit natura. Quod si vero tollatur cau-
 sa manente effecto, quid manifestius quam il-
 C. lud

lud effectum ab illa causa quæ non existit dependere neutiquam, ideoque istius causæ effectum non esse?

X X X I X.

Quæ exemplo ut illustrentur supponamus, ignem aquam calefacere. Quod, nisi necessarie sequatur ex natura ignis agentis in aquam, poterit fieri, ut ignis in aquam agat, & eam tamen non calefaciat. Hæc enim si sejungi non posse statuas; eadem opera fatearis oportet esse necessarium quem urgeo nexum inter ipsius ignis in aquam actionem, & aquæ calefactionem. Quem nexum si neges, & nihilominus ignis actionem solitariam esse caloris introducti velis causam, planè loqueris repugnantia. Ponamus enim nexum hunc si fieri potest dissolutum, ita ut ignis agere queat in aquam & eam non calefacere, concipiamusque duo vasa, ejusdem figuræ & magnitudinis, eadem aquæ quantitate plena, eidemque igni eodè ritu appolita, in quorum altero si fieri queat, aqua contenta incalcescat; in altero maneat frigida. Quibus ita positis si quis nunc de te causam quærat cur altera aqua calefiat, risui profecto te expenes, si dicas id fieri propter actionem ignis. Continuo enim tibi reponet eandem ignis operationem circa alteram aquam versari, nec eam caleferi; convincetque te manifesti erroris, quod ignem pro causa habueris caloris in aquam introducti. Evidentissime enim sequitur, cum ignis in alteram aquam agat eadem efficacia, nec illa tamen ex hypothesi incalcescat, ignis operationem ad calorem producendum

tendum nequaquam sufficere, sed necessarium esse, ut præter operationem ignis, quæ utri- que vasi est communis, aliam quæramus causam, per quam fiat, ut aqua in uno vase incalescat, in altero minime. Si itaque ignis sit causa calor- is, fieri non poterit, quin utraque aqua eodem incalescat ritu, aut si fieri potest, ut illa ignis actio possit absque calore ab altera aqua sustineri, illam calorem solam non producere, ideoque ca- loris istius causam non esse. Ut autem hoc in exemplo, sic in omnibus liquebit, aut effe- ctum si recte alicui causæ ascribatur, necessario ex eadem sequi, adeoque cum ea inseparabiliter conjungi, aut si ullo modo, ullove in casu fieri queat, ut causa præsentem effectum non sit, effe- ctum male isti causæ ascribi.

X L.

Profecto si quidpiam effecto adesset, quod ex causa, ejusque operatione non sequeretur necessario, undenam hoc quæso? Non ab operatione causæ; potest enim ab ea separari, quod effecto adesse supponimus. Unde profe- cto id erit aut à se, aut à nihilo, quorum utrum eligas (utrumque autem absurdissimum esse res ipsa clamat) certum erit illud accessorium male attributum priori causæ, quod ad nostrum pro- positum sufficit.

X L I.

Quibus ita positis redeamus ad Ideas, earum- que Naturam paululum contemplemur accura- tius; ut enim ex iis & solis quidem, omnis nos- tra fuit scientia, ita & ex iisdem fuet cognitio

existentiæ Divinæ. Nam si omnes meæ, quas habeo, ideæ tales sint, ut nullam extra me causam agnoscant, de nullius quoque rei à me diversæ existentia certus fieri potero. Si vero quædam sint quæ extra me causam requirant, ex iis forte quædam erit, quam habere, Deo non existente non possem, ex qua idcirco existentiam ejus concludere licebit evidenter.

X L I I.

Quod si idearum nostrarum naturam vel obiter contemplemur, facile liquebit inter eas respectu rerum quas repræsentant eandem omnino diversitatem esse, quæ foret inter ipsas res quarum sunt ideæ, si ex forte existerent. Quid enim? Concipio triangulum, concipio circulum. Nonne alter horû conceptuum mihi trianguli Naturam, proprietatesq; , alter circuli repræsentat? Nonne itaque inter hæc repræsentationes eadem omnino differentia est quæ inter naturam & trianguli & circuli? Supponamus & triangulum & circulum extra me alicubi existire. Quæ res si ulla ratione inter se differentiam majorem habere queant, quam earum in mente repræsentationes, sequeretur necessario, me aut utriusque rei aut certe alterutrius ideam non habere. Aut enim ideæ tam trianguli quam circuli mihi repræsentabunt istarum rerû naturam prout in ipsis rebus existit, quo in casu nihil certius quam eandem quæ est inter res illas existentes, earumque proprietates diversitatem, esse quoque inter illarum rerum naturam proprietatesque à nobis cogitatas, hoc est inter ipsarum rerum

rum ideas. Aut si illæ ideæ mihi vèram circuli, triangulive naturam, veras proprietates non offerant, non erunt certe trianguli circulive ideæ.

X L I I I.

Ex quibus nec difficile erit advertere eundem hunc nexum, qui est inter naturam operationemque causæ, & effectum quod producit, esse quoque eadem omnino necessitate, inter causæ, ejusque operationis ideam, & ideam effecti: ita ut sicut à causa necessario effectum producit, sic ex idea causæ necessario sequatur idea effecti. Quæcunque igitur advertit mens nostra ita se habere, ut alterum ex altero necessario sequatur, eorum alterum causæ, alterum effecti vicem supplere non est quod dubitet; & è contrario quæ eam connexionem in mente nostra non ostendunt, de iis alterum eorum causam, alterum effectum esse non nisi summa pronuntiabit temeritate.

X L I V.

Quibus omnibus consentaneum est, quantum inter diversas causas varietatis est tantundem necessario diversitatis inter earum effecta fore, & viceversa, quantum est inter effecta variarum causarum discriminis, tantundem quoque inter ipsas causas reperiri differentia. Et enim cum ea necessaria connexio sit inter causam

sam effectumve, ut posita causa effectum ponatur, sublata tollatur, nonne eadem erit inter causarum effectorumque diversitatem? ut sc. posita diversa causa, diversum ponatur effectum, posito diverso effecto, necessario diversa quoque ponatur causa. Nisi forte quis existimet idem posse sequi ex iis, & necessario connecti cum iis quæ diversa sunt. Quid itaque? cogitabit forte quispiam, existimasse non posse idem effectum causis licet diversis deberi? Nonne Sol, nonne ignis, idem effectum, eundem calorem producunt? Cui equidem respondeo, fieri facile posse ut idem effectum, si minus accurate, ut vulgo solemus, loqui velimus, à diversis producat rebus, non posse, ut à diversis causis. Diversarum enim rerum nemo negat communia quædam esse attributa, quæ æque huic rei insint ac illi, per quæ dum illæ res operantur, non mirum certe est idem effectum produci, cum fiat ab eadem causa, iisdemque attributis; si vero ad effectum rei diversa concurrant attributa, fieri omnino nequit, ut idem sit utriusque causæ effectum. Quoniam enim pacto ex iis quæ toto genere diversa sunt sequetur idem. Toto genere diversa dico, quia remoto omni eo quod commune est, id unice considero, in quo sunt diversa. Fierine potest ut à diversa trianguli & circuli Natura quatenus diversa est, eadem fluant attributa? Uterque equidem figura est, uterque spatium aliquod comprehendit, verum hoc non sequitur ex peculiari & diversa natura circuli triangulique, sed

sed ex communi utriusque proprietate. Quatenus autem natura circuli diversa est ab ea trianguli, diversa etenim utramque naturam sequuntur attributa. Neque ab simili ritu res sese habet in causis earumque effectationibus. Diversæ quippe causæ, aut quædam habent attributa communia, quædam diversa, aut diversa habent omnia. Omnia liquidem communia habere nequeunt. Non enim diversæ causæ, sed una foret eademque. Quid autem evidentius, quam attributorum plurium causarum communium respectu ex iisdem non nisi eandem operationem, ideoque eadem plane effecta sequi? Respectu autem eorum attributorum quæ diversa sunt, quæ alia in hac, alia in illa causa, quæque separato omni eo quod commune est utrique, penitus diversa sunt, & nihil commune habentia, quid certius ex iis non nisi differentes plane operationes sequi, diversaque effecta produci?

X L V.

Ut enim in ratiocinio, fieri nequit, ut ex iisdem plane datis diversæ eliciantur conclusiones, nec ut ex diversis datis concludantur eadem, sic nec fieri poterit, ut ex communibus iisdemque in utraque causa proprietatibus, operationes diversæ sequantur, neque ut ex diversis proprietatibus sequantur eadem. Hoc etenim si fieret, sequeretur diversam plane esse inter causam & effecta connexionem ab ea quæ est inter ideam causæ, ejusque effecti; quod

C 4

absur-

absurdum esse thesi 7. evicimus. Merito igitur licebit concludere, eandem omnino causam, quæ effectuum, & viceversa varietatem poni,

X L V I.

Quæ quidem omnia non difficulter evincunt Dei existentiam, cum jam constet, ideam, quam habeo divinitatis, tantopere differre ab ideis aliarum rerum, quantopere ipse Deus sic existeret ab illis quoque rebus existentibus diversus foret. Habeo ego ideam Dei: illa certe causam requirit. Nihil enim aut dari aut concipi potest quod existentiae suæ essentiæve causam non habeat, ùve à semet ipso, sive ab alio. A qua igitur causa illa est? vel certe ab ea quæ est infinita & omnino perfecta, vel à finita: Illud si quis dixerit, eo ipso fatebitur rem infinitam, hoc est Deum dari. Si vero finitam causam dixerit, videat quæso hoccine non repugnet prædemonstratis. Habeo ego ideam rei finitæ, de qua rursus quæro ea ne originem suam causæ debeat finitæ, an vero infinitæ? Si infinitæ, non est quod progrediar, habeo quod volo. Sin vero ideæ rei finitæ causa finita est, et hoc eum, qui Deum negat, dicere necesse est, qui quæso fieri potest, ut tantum inter idearum causas, quantum inter ideas sit discriminis?

Inter

XLVII.

Inter ideam siquidem Divini numinis, rei summe perfectæ, omnibus numeris infinitæ, & inter ideam rei cujuscunque finitæ, discrimen est infinitum. Tantum enim est quantum foret inter Deum, & res illas finitas si illæ revera existerent. Inter illas autem si existerent infinitum discrimen fore nemo ambiget. Causa autem ideæ rei finitæ, finita est. Infinitam enim qui concedit, omne id largitur quod intendo. Qui igitur idea rei infinitæ causam quoque poterit agnoscere infinitam? Hoc scilicet si fiat, longe majus discrimen erit inter ipsas ideas quam inter earum causas; Hæ enim finitum, illæ infinitum agnoscent discrimen. Quod cum naturæ causæ, effectique repugnet, sequitur, ideam quidem rei finitæ causam finitam, sed ideam rei infinitæ, omnibusque numeris perfectæ, non nisi causam infinitam, & omnino perfectam agnoscere. Quæ idcirco existet necessario. Q. D. E.

XLVIII.

Id egimus in *Disput. quarta*, ut cum ex Idearum natura, tum ex causarum effecto necessaria connexionem, ostenderemus Deum, cujus ideam habemus, necessario existere. A quo argumento antequam discedam, non inutile forte erit ex iisdem fundamentis alia quadam ratione

C 5

eandem

eandem demonstrare conclusionem, quo plurimum mentibus inservire queat hoc ratiocinium. Eam namque haud ita difficulter experimur indolem nostram esse, ut hic ab hoc, ille ab illo ratiocinio facilius convincatur, licet utrumque iisdem fundamentis, sed alio quodam ritu propositis suam debeat efficaciam; non quod utrumque non æque concludat, sed quod aliud ab alio facilius percipiatur.

X L I X.

Quod ut fiat, illud primum considerari velim, Omne id quod sub perceptionem nostram cadit, si forte non existat, existere tamen sua ex natura posse. Quod addo, ut tollam omnem considerationem causæ externæ. Etenim si supponamus nullam in rerum natura causam reperiri, quæ producere queat Pyramidem aut aliud quodcunque, certe ea in hypothese fieri non poterit ut Pyramis existat. Verum tamen erit, existentiam non repugnare naturæ Pyramidis; Quod enim nequeat hoc in casu existere, id nequaquam fit, defectu Naturæ Pyramidis, sed defectu causæ, quæ Pyramidem produceret. Quod idem ratiocinium cuicumque etiam rei applicari posse, manifestissimum est. Quidquid igitur cogito, id si forte non existat, existere certe poterit. Ex eo itaque quod Deum sive ens omnibus numeris infinitum perfectumque percipio, certo sequitur fieri equidem posse, ut existat
Deus,

Deus, nec hanc hypothesin existentiae Divinae pugnancia complecti.

L.

Deinde considerari velim, ex ea connexionem, quam inter causam & effectum reperiri, *praec. disput.* ostendimus, necessario sequi, non posse in effecto plura contineri, quam in causa effecti; sive tantum minimum perfectionis in causa efficiente exigi, quantum est in ipso effecto. Sequitur enim ex causa effectum. Id autem quod perfectius est & plura complectitur, ex eo quod minus est perfectum, paucioraque in se habet, sequi qui potest? Ut enim negant Logici, fieri posse ut conclusio plura contineat quam praemissae, sic nec effectum plura habere potest ipsa causa, cum illud conclusionis, haec praemissarum instar sit, ea quidem ratione quae hic sola considerari meretur, quod effectum aequo certo ac necessario ex causa sequatur proxima, ac ex praemissis conclusio.

L I.

In qua assertione facile liquet me pro causa habere omne id à quo effectum producitur. Si enim quis supponat, quod an fieri queat jam non disputo, à variis causis simul concurrentibus effectum fluere, facile fieri poterit, ut effectum plus contineat perfectionis, plus rei, quam unaquaque causarum, sed tamen non poterit habere

habere plus perfectionis quam omnes simul. Sint enim quatuor, si ita velint, causæ, quarum singulæ omnibus suis viribus agentes effectum aliquod producant. Quid est, quæso, manifestius, quam hoc effectum cum omnia sua à quatuor illis ex hypothese mutuetur causis, non posse quatuor illis simul sumtis esse perfectius; nihil tamen obitare quominus perfectius sit quam illarum unaquæque, cum non tantum ab hac sola, sed ab omnibus simul suas nanciscatur perfectiones.

L I I.

Verum quid hac in re hæreo? cum non arduum sit demonstrare pluribus causis, iisque diversis (si enim diversæ non sunt, ne quidem plures sunt) unum idemque effectum deberi non posse. Hoc enim si foret, sequeretur ex diversis causis, attributis atque operationibus unum & idem sequi, quod absurdum esse *præc. disput.* evicimus. Quod autem nonnunquam unum effectum pluribus adscribamus causis, id fit, quia nonnunquam plura, eaque diversa, quia certum ordinem inter se habeant, inftar unius consideramus, quod tamen quia diversas in se partes habet à pluribus iisque diversis necessario causis dependet. Quod tamen ipsum facile patet non obitare, quominus si accurate loqui velimus, una res ab unica solummodo produci queat causa.

Ex

L I I I.

Ex quibus ut facile sequitur, in causa uniuscujusque ideæ minimum contineri omnes eas perfectiones, quæ in idea sunt; ita remanet difficultas, an causa ideæ necessario contineat eas perfectiones, non quas idea habet, sed quas repræsentat, quas si non in omnibus, certe in plerisque casibus ab iis quas habet diversissimas esse negari omnino nequit. Quæ ut tollatur, considerandum est hanc esse omnium idearum naturam ut consistant in repræsentamine, neque præterquam quod cogitationes sunt, aliud quidquam præter diversa rerum repræsentamina continere possunt. Quid enim quæso aliud est conceptus rei à mente diversæ, quam illius repræsentatio? Ex quo sequitur, si causa quæpiam agat in mentem, aut mentem producat variis ideis instructam, illam causam qualiscunque etiam sit, nihil aliud posse quam ut diversas in ea producat ideas. Non enim capax est mens nostra nisi variorum modorum cogitationis, hoc est, variarum idearum, variorum repræsentaminum. Quidquid igitur agat causa, quidquid moliatur, in cogitatione non producet res à cogitatione diversas, sed sola earum rerum repræsentamina, solas ideas, utpote quas solas mens sive cogitatio sua ex natura suscipere potest. Supponamus nunc porro, causam aliquam producere aut sui aut alterius cujusque rei ideam. Si sui aut rei cujuspiam imperfectioris id nostram

stram assertionem non impugnat. Rei autem perfectioris non potest. Nam facile liquet, illam causam non posse extra mentem, cogitationemve quidpiam producere quod plures ipsa causa perfectiones habeat. Unde & sequitur cogitationis producturam nihil, quod plures perfectiones representet. Quod enim hic tantummodo representamen aliquod sit, ea varietas sequitur ex ipsa cogitationis quam producit natura.

L I V.

Profecto, si supponamus ullum ideæ representamen oriri posse à re quæ minores in se vera perfectiones habet, quam quas idea representat, in id absurdum incidemus necessario, non eandem esse inter causas, quæ inter effecta diversitatem. Etenim idea quæ mihi representat rem aliquam, A ex. gr. si oriatur à causa, quæ minores perfectiones habeat ipso A. etiam idea quæ nihil representat aliam rem puta B, oriatur à causa minores perfectiones continente ipso B. Nam si easdem contineret, jam major diversitas foret inter idearum causas, quam est inter ipsas ideas, ut liquido constabit attendenti. Nulla itaque res erit, quin productura sit majores in idea ratione representaminis perfectiones, quam quas vera habet. Quod absurdum esse vel ex eo liquet, quia non alium ordinem inter se ideæ servant, quam eum quem ipsæ res illis ideis respondententes.

Deinde

L V.

Deinde idea rei finitæ A si oriatur à re minus perfecta quam est A, illa certe tamen non erit nihil; sed certam aliquam eamque finitam habebit ad ipsum A proportionem. Quæ eadem omnibus aliis in ideis, earumque causis servanda erit, ut causa, eadem, certe finita aliqua proportione superetur à representamine, quod est in effectu. Neque enim illa disparitas inter causæ veras perfectiones & quas representandas offert ideæ, alia in una re erit ac in alia, cum id nec ex natura causarum; nec ex natura ipsius cogitationis sequi queat.

L V I.

Ex quo ipso sequetur evidenter, si quis vel maxime aliquam disparitatem velit admittere, eam certe tantam non esse ut finitam proportionem excedat. Semper equidem inter perfectiones veras & repræsentatas certa quædam & finita erit ratio; si enim quis hanc vel infinitam admittere velit, nihil obstabit, quo minus res vel vilissima mihi rei vel nobilissimæ det ideam, quod ipsum rationem inter causam & effectum omnem destruet. Si vero finita hic quæpiam sit proportio, nulla causa dari poterit quæ infiniti & summe perfecti ideam producat. Illa quippe si producat à re finita, qualiscunque ea sit, certe infinita erit ratio inter perfectiones, quas illa res finita habet, & quarum repræsentationem efficit; cum hæc infinite sint, illæ finite, inter
quas

quas nullam finitam proportionem dari res ipsa loquitur.

L V I I.

Et certe de ideis in genere haecenus diximus ; id in idea Dei manifestiorem quodammodo habet veritatem. Fingamus enim esse extra me ens quodpiã ea facultate pollens ut possit mihi dare ideam Dei, hoc est, rei illa causa longe perfectioris. Habeat quidem illa causa perfectiones majores iis quæ revera in idea sunt, non habeat tamen aut majores aut æquales cum iis quas idea menti representat. Quæ si ita sumantur rem certe aliquam percipio ipsa illa causa perfectiorem. Hoc enim quod concipio summe perfectum est, illud quod existit ex hac hypothesi ad illam perfectionem non accedit. Quod si forte daretur extra me ens aliquod summe perfectum, quod fieri posse §. 2, ostendimus, illud profecto non posset menti præbere ideam majorum aut plurium perfectionum, quam ea est quam ab alio illo ente possidet; illis enim infinitis perfectionibus nihil majus concipi potest. Unde sequeretur duas causas à se invicem diversissimas, perfectum sc. & imperfectum, finitum & infinitum, omnibus viribus suis agentes, idem tamen producere effectum, nec posse eam; imo quæ perfecta est, licet alteram viribus superet infinitis, licet omni sua agat efficacia, omnem operam adhibeat, non posse tamen producere effectum imperfectioris & limitatæ causæ effecto perfectius:

perfectius. Quæ cum manifeste repugnent demonstratis de causa & effecto, patet certe hypothefin ex qua hæc absurda sequuntur revera etiam absurdam esse, hoc est, fieri non posse ut Idea Dei ab ulla causa oriatur, quæ sit Deo imperfectior.

L V I I I.

Nec est quod quis excipiat, nos in hac argumentatione concludere ex hac hypothefi, si Datur Deus, quam non admittet Atheus. Revera enim non supponit mea ratiocinatio dari Deum sed posse dari, quod *Tb. 2.* evicimus. Si enim potest dari Deus, potest fieri, ut servata hypothefi de idea à causa imperfectiore fluente, causa perfectior non plus possit quam imperfectior. Atqui Deus dari potest, nec tamen potest fieri ut causa perfectior imperfectiori non prævaleat. Quid igitur restat nisi ut altera illa hypothefis, qua volunt ideam Dei à causa minus perfecta fluere, falsa sit? Quod unice ostendere volumus.

L I X.

Et sane hujus asserti de idearum causis veritas ita manifesta est, ut facile sit demonstrare omnem cognitionem, quam habemus de rerum extra nos positarum existentia, hoc solo fundamento niti. Cur enim quæso dicimus terram, cælum, sidera, idem autem est de quibuslibet
D
rebus

rebus, existere? Nonne quia ea videmus aut aliis quibusdam sensibus percipimus? Visio autem hæc nobis ne quidem persuadere, multo minus nos certos reddere posset, de rei alicujus existentia, nisi Mentem afficeret. Quid enim evidentius, quam si corpus afficeretur, mens non afficeretur, nunquam nos visuros, nec ex ea corporis affectione si ejus conscii non fiamus, nos nobis unquam persuasuros dari aliquid extra nos. Sola igitur idea est, quæ persuadet; Non corporis mutatio, non species in Phantasia depicta, sed sola, quatenus in mente est, idea. Qua autem, quæso, ratione hoc posset idea, nisi persuasissimi essemus eam causam requirere extra nos existentem, & talem quidem, quæ illius repræsentatis perfectionibus respondeat? Quæ non eo adduco, quasi ex hac persuasione argumentum petere velim; sed solummodo ut ostendam eos qui, ubi de Dei agitur existentia, hanc de causis idearum veritatem in dubium trahunt, eandem illam, ubi de rerum sensilium existentia agitur, extra omnem dubitationis aleam ponere, sive sibimet ipsis pugnancia loqui.

L X.

Manifestum plane attendenti axioma est, *omne id quodcunque rei alicui adest, adesse vel ab ipsa rei natura, vel à causa externa. Causam quippe externam voco omnem eam, quæ ab ipsa rei natura distinguitur.* Certe si quis quærat, cur triangulum habeat angulos duobus rectis æquales

quales, nulla alia responsio est, quam Triangulum hoc habere à semetipso, à sua natura, hoc est, hanc proprietatem ex ipsa Trianguli natura necessario sequi. Si quis vero quærat, cur Triangulum moveatur, cum neutiquam motus ex Trianguli natura sequatur, eo quod Triangulum in quiete positum concipiamus facile, manifestum est hanc causam à Natura Trianguli distinctam, hoc est, externam esse. Quod ut hoc in exemplo obtinere certum est, sic idem facile liquet, de quolibet attributo, proprietate, accidente, live, ut cum *Lucretio* loquar, de quibuslibet *conjunctis* aut *eventis* reum. Adesse nimirum ea, vel quia Natura rei postulat, vel quia, non postulante Natura, causa quæpiam externa ea cum ipsa re communicat.

LXI.

Cui equidem effato consecrarium est, omne id quod existit, aut existere à se, à sua natura, aut existentiam suam mutuari ab alio. Neque enim quocunque etiam de attributo agam ulla oriatur differentia. Existentia adest rei. Quæro à qua causa? Cum enim existentia procul dubio aliquid ponat, causam veram ut habeat necessum est omnino. Illa igitur aut ipsamet rei existentis erit natura, aut quidpiam ab illa natura distinctum. Tertium quippe dari nullo modo potest.

D 2

Neque

LXII.

Neque vero quo minus huic veritati sua luce manifestissimæ firmam præbeam assensionem efficit multorum & magnorum etiam virorum auctoritas, negantium quidpiam sui ipsius causam efficientem esse posse. Est etenim meo quidem iudicio tota hæc contentio in verbi posita controversia, cum utraque pars sententiis conveniant, verbis discrepent. Qui enim asserunt nullum effectum à se posse produci, quia eadem foret causa cum effecto, manifeste loquuntur non de omnibus causis, sed de illis quæ ab ipso effecto sunt diversæ. Nec est quod existimes omnes quotquot sunt, effectrices causas ab effectis distingui. Quid enim? contineturne in definitione seu natura causæ & effecti, ut alterum sit distinctum ab altero? aut si hoc non continetur, qua ratione de natura causæ & effecti affirmas, quod in eorundem natura non comprehenditur? Quid autem, quæso, aliud præcise est causam esse, quam effectum ex ea sequi, aut effectum esse, quam sequi ex causa? ita ut inter ea quæ ex se invicem necessario sequuntur, semper sit causæ & effecti ratio. Quid autem manifestius, quam idem sequi ex seipso, attributa sequi ex natura rei, cum qua tamen unum idemque constituunt?

Quæ

L X I I I.

Quæ quidem assertio ejus evidentia est, ut illi ipsi quibuscum hic agimus, distinctionem inter omnem causam efficientem, ejusque effectum ponere non sustineant. Nam quid vulgatus, quam ab omni tam *Logicorum* quam *Metaphysicorum* grege, *causam efficientem* dividi in *emanativam*, ut loquuntur, & *activam*? Quæ autem ipsis *causa emanativa* est? Nonne ea quæ effectum producit sine ulla actione? ita ut ignis (hæc enim vulgata sunt exempla) producit calorem, qui in igne est, & ut forma suas producit proprietates, quæ ex forma emanant & fluunt. Quæ cum omnes ita doceant, nonne vel hoc ipso perspicue ostendunt agnoscere sese effectrices causas ab effectu non discrepantes? Etenim si forma suarum proprietatum causa est efficiens, trianguli sive forma sive natura, juxta ipsos causa erit, *cur maximum latus opponatur maximo angulo*, quod tamen attributum ab ipsa trianguli natura nostro duntaxat discrepare concipiendi modo, re ipsa vero neutiquam distingui res ipsa loquitur.

L X I V.

Quibus equidem in casibus si admittant causas, quas vocant *emanativas*, causas ab effectu non discrepantes, atque adeo effecta quæ sunt à se ipsis, cur quæso piaculum existimant asserere,

D 3

existere

existere quidpiam à semetipso? Neque enim ulla dispar ratio est. Nam eodem modo, ut *maximum latus opponi maximo angulo* est attributum trianguli, ita *existere* est attributum illius rei, quæ est à se; & ut illud ex natura trianguli, à qua non differt, necessario sequitur, sic & *existentia*, quæ eadem est cum natura rei quæ est à se, cum eadem natura connexionem habet necessariam.

L X V.

Neque vero recte contendunt, nihil posse esse à se, ut loquuntur, *positive*, sed *negative* tantum, eo quod non sit ab alio. Quasi vero à se esse inferat contradictionem? Quasi id quod à se esset, necessario fuisset antequam esset? Hac enim ratione argumentantur, causa significat id quod dat esse, effectum id, quod accipit. Nemo autem accipit esse, id quod jam habet; cur enim acciperet? Præterea causa non potest effectum producere, nisi existat. Effectum autem ubi existit, nulla causa opus habet. Atque adeo necessarium videtur causam existere, effectum non existere; ex quo sequitur inter causam & effectum diversitas. Ad quæ equidem facilis omnino est responsio, cum tota hæc difficultas solo nostro concipiendi, ratiocinandique fundata sit modo.

L X V I.

Ea siquidem imbecillitas humani intellectus
est

est, ut nequeat cujuscunque etiam rei naturam, & omnia quæ in ea sunt, unico conceptu apprehendere intelligereque. Quod autem illa unico non valet, id pluribus præstare & exequi jure merito tentat, sicque unam eandemque rei etiam individuæ naturam pluribus sibi proponit conceptibus, qui utut diversi revera sunt conceptus, repræsentant tamen unam eandemque rei naturam, licet propter diversitatem conceptuum diversa vulgo, nec male, dicantur ejusdem rei attributa, aut proprietates. Sic *trianguli* naturam diversis omnino contemtor conceptibus; vel enim concipio tanquam *figuram trium laterum*, vel tanquam *figuram, cujus maximum latus opponitur maximo angulo*, vel denique ne plura enumerem, tanquam *figuram cujus anguli duobus rectis sunt æquales*. Diversos hosce conceptus esse vel ex eo liquet, quia unum ex hisce attributis de triangulo possum noscere, non cognitis reliquis. Unius autem solummodo rei conceptus esse negari nequit quia soli triangulo conveniunt, ex ejus natura necessario sequuntur, & tum cum eadem, tum secum invicem recipiuntur.

L X V I I.

Inter hæc autem attributa, inter quæ, ipsam rem si spectemus, nulla est diversitas, mens nostra suo concipiendi modo diversitatem quandam facit. Quamquam enim illa eodem modo conveniunt rei, solet tamen mens nostra u-

D 4

num

num ex hisce concipere, tanquam primarium, vel quia primo menti occurrit, vel quia faciliorem reliquorum deductionem præbet, quod ipsam rei naturam vocat, & ex quo reliqua, quæ instar attributorum concipit, necessario sequi demonstrat, non quod hæc non æque ac illud rei naturam constituent, sed quod talis ordo sit nostræ quam habemus de rebus cognitionis. Ex quo & illud fluit, illud primarium quod est nostræ cognitionis & ratiocinii omnis de re fundamentum à nobis concipi tanquam causam efficientem illarum proprietatum, quas ex ea deducimus, concludimusque; quod ipsum sufficit ad id quod nobis nunc est præ manibus.

L X V I I I.

Etenim si recte, nemine dissentiente, attributa à rerum natura, à qua tamen non differunt, effici produci que dicimus, quidni liceat idem dicere de existentia eo quidem in casu, quo est rei, ex cuius natura necessario fluit, attributum. Quidni unum & idem possum concipere, & tanquam esse dans & tanquam accipiens? Quidni unam eandemque rem re ipsa duobus possum conceptibus, qui diversa constituere dicantur rei attributa, ita concipere, ut concipiam alterum esse suum dari alteri, & alterum ab altero accipere, hoc est, alterum esse alterius causam? licet revera inter hæc duo attributa, quatenus ipsa in re sunt, nulla sit differentia.

Neque

L X I X.

Neque vero est quod urgeant causam effecto tempore priorem esse debere: Tantum enim abest hoc ut verum sit, ut contemplanti necessarium qui est inter causam & effectum nexum, & sine quo causa non esset causa, planum fiat, causam quatenus causa est, tempore effecto priorem nullo modo esse posse. Quid enim evidentius quam id quod omnes confitentur, *Posita causa poni effectum, & sublata tolli*, quæ sane reciprocatio omne excludit temporis discrimen. Hæc autem cum causæ propria sit, nec minus tamen conveniat omnibus attributis quæ eadem sunt cum re, cujus sunt attributa, quid est quæso cur negemus idem esse posse ratione sui ipsius, quod est causa ratione effecti?

L X X.

Esse itaque à se non tantum est non esse ab alio, quanquam & hoc includit, sed habere in semetipso, in sua natura certum aliquod & reale fundamentum, propter quod existat necessario. Triangulum à se habet angulos duobus rectis æquales, non quod illa proprietas à nihilo sit, sed quod habeat in ipsa Trianguli natura fundamentum, sive quod aliquid reale sit in Triangulo, ex quo ea proprietas fluit. Sic cum ens aliquod à se esse dicimus, nihil aliud dicimus quam, ens illud in sua natura continere perfectio-

nes veras, quæ fundamentum sint necessariae existentiae. Neque enim fieri potest ut existentia fluat à negatione quadam, quia cum reale quiddam sit, realem quoque perfectionem pro causa requirat necesse est. Quæ itaque si in rei non contineatur natura, aut nulla sane erit, quo quid absurdius? aut res erit ab alio. Totum itaque hocce huc redit, eos qui asserunt *nihil esse à se*, sed id quod nos à se esse dicimus interpretantur per *non esse ab alio*, aut per hoc *non esse ab alio* intelligere meram negationem, sicque loqui absurdissima, nihil statuentes veræ rei, veræ existentiae causam; aut aliquid in ipsa re intelligere *positivum* quod sit existentiae causa, sicque nobiscum loqui consentanea.

L X X I.

Ut autem ad rem redeam, à qua paululum videor digressus, non difficile equidem est demonstrare dari aliquid quod sit à se. Nihil etenim evidentius esse potest, quam fieri non posse ut *omnia quæ sunt, ab alio sint*. Daretur enim necessario aliud quidpiam præter ea omnia quæ sunt, id scilicet à quo essent omnia. Supponamus, ut res intelligatur clarius, omnes omnino res, quæ jam hoc ipso temporis momento existunt, certo quodam numero comprehendi, ex. gr. centenario. Manifestum equidem est, vel unum vel plura ex illis centum esse à se. Si enim quis velit illa omnia ab alio esse, causam à se diversam requirere, nonne res ipsa clamat, præter

præter illa centum, quibus omnia supposita
contineri, dari aliud quidpiam, à quo sint illa
centum, hoc est, numero illo centenario om-
nes res quæ jam sunt nequaquam contineri,
quod est contra hypothefin.

L X X I I.

Datur igitur necessario ens aliquod quod est à
se, hoc est, datur Deus. Dei enim attributa, per-
fectionesque divinas illi rei quæ suam existen-
tiam sibi debet necessario competere, facile est
demonstratu.

F I N I S.

Faint, illegible text at the top of the page, possibly a title or header.

Second block of faint, illegible text in the upper middle section.

Third block of faint, illegible text in the middle section.

Fourth block of faint, illegible text in the lower middle section.

Fifth block of faint, illegible text in the lower section.

Sixth block of faint, illegible text at the bottom of the page.

